

I 2 W

1 6 0 5



✓ 00/19.

Handwritten number 396.

Gesner, Jul. (3<sup>te</sup> disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit  
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





669.  
37



DUCE CHRISTO,

PRO SECUNDA  
PARTE EXAMINIS CON-  
CILII TRIDENTINI REVEREN-  
DI ET EXCELLENTISS. VIRI DN.  
D. MARTINI CHEMNITII.

DISPUTATIO XV.

Sex capitum

- I. De Missis in honorem Sanctorum.
- II. De Canone Missæ.
- III. De Ceremonijs Missæ.
- IV. De Privatis Missis.
- V. De aquâ in calice miscenda.
- VI. De Sacris in lingua peregrina peragendis.

Quam

SUB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI,  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFES-  
SORIS in Academia Witebergenſi publici, ad  
diem XXII. Novemb. Anno 1603. in Templo Ar-  
cis Electoralis ventilandam proponit

MARTINVS WEIGMANVS Barttph.  
è Panno. ſup. Scepuſius.

WITEBERGÆ, Typis Meiſnerianis Anno 1603.







AMPLISSIMIS VIRIS:  
PIETATE, PRVDENTIA LON-  
GOQVE RERVM VSV PRAESTANTISSI-  
mis; Dn. IUDICI, cæterisq; Inclytæ ac liberæ Barttphen, in  
superiore Vngaria Reip. Senatoribus dignissimis.

ITEMQVE

Dn. TRIBVNO-PLEBIS, TOTIQ;  
*laudatissima ejusdem Reip. Centumvirum Corona &c.*

PATRIBUS PATRIÆ:

Dn. Affinibus, patronis ac promotoribus suis, solitâ eaq; debitâ  
observantiâ animiq; submissione æternum colendis:

*Hæc suas messis Theologica Primitias, in æviternum gra-  
titudinis ac observantia tesseram, ex animo offerre ac  
nuncupare voluit, debuit.*

Mart. Weig. Respondens.





## T H E S I S I.

**S**uperiore disputatione abusu circa Eucharistiam male feriatæ gentis Esavitica primarius, Missæ videlicet, quæ basis est, totius Synagoga Babylonica gladio & jaculis SS. confossus, atq; ex consinibus Ecclesiæ nostræ purioris, ut merito explosus, ita potenter ejectus & profligatus.

## II.

Restat ut reliquas etiam abusu paleas, pralucentibus nobis divini Spiritus faculis nonnihil ventilemus, ventilatas discutiamus, discussas unâ cum stramine à basi suâ ad colluviem ratorum fratrum, vel si malint ad Orcum & ad Rhadamanti tribunal relegemus.

## III.

Illorum autem sex numero sese offerunt. 1. Missa in honorem sanctorum. 2. Canon Missæ. 3. Ceremonia Missæ. 4. Privata Missæ. 5. Materia calicis, sive de aquâ in calice miscendâ. 6. Sacra in linguâ peregrina.

## DE PRIMO.

## IV.

Hic antequam examen primæ errorum paleæ instituamus, de certo primum omnium statu figendo, rei necessitas nos laborare jubet.

## V.

Questio itaq; est; An Sacra Cæna Dominica, ideò sit instituta, ut eius celebratione, administratione, & usurpatione implerentur & comparentur patrocinia Sanctorum, ita ut in omnibus, in quibus indigemus divina protectionis auxilio, Deus illud concedat propter merita & preces sanctorum.

## VI.

Circa quem controversia statum negativam tenentes Christiana κατήχησις profiteatur Cænam Dominicam nō in eum quem Romanenses somniant, institutam esse sinem: cā enim impiâ profanatione, sacratissima Christi mensa conspurcatur; Ipse quippè



*Filius Dei in testamentaria & valedictoria sua Cœnâ, hoc modo dilectos sibi Apostolos alloquitur: Hoc facite non in sanctorum, sed in mei commemorationem. Ac præterea ideo corpus & sanguinem suum nobis in Cœnâ tradit, ut adituri gratia, Dei præpotentis thronum, misericordiam consequamur.*

## VII.

*Sed age, quo pallio Thais Babylonica hanc suam erroneam opinionem tetramq; circa Domini Cœnam profanationem palliare conetur, dispiciamus.*

## IIX.

*Ad Solem sanè divinarum literarum splendidissimum cum salpâ magis cœcutiat, ideoq; veterum quorundam exempla & testimonia convasat, quibus desperatam suam & ruinosam causam fulciat, imperiteq; plebecula imponat.*

## IX.

*Sed frustra: insignem enim historiae antiquitatis injuriam infert, quando neglecto vero sensu, pro stolidis cerebelli sui thobis, quicquid est, ad falsum suum institutum accommodat & non nisi quod palato suo sapit, eligit.*

## X.

*Hoc expeditum dabimus. Antiquitas enim loquitur quod cum in magnis primitivæ Ecclesie persecutionibus numerus Martyrum subindè cresceret: ibi solitos fieri publicos Ecclesie conventus, solitam loco certo annuatim piam martyrum fieri mentionem, solita fieri sacra quadam, tractatum verbum Dei, administratam esse Cœnam Sacram, nominatos citra superstitionem & invocationem, Martyres, & quæ sunt alia pijs hisce exercitijs similia.*

## XI.

*Hinc ἄλλοι & rasorum missificantium turba re minus dextrè contraq; mentem pie antiquitatis, acceptâ, subinfert: Ergò antiquitas celebravit Missam de sanctis, ut ipsâ actione Cœna imploraret patrocinia Sanctorum.*

## XII.

*Testem istis socijs contrarium ex multis unum audiamus D. Cyrillum,*



*Cyryllum, qui Iuliano respondet: Martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus, sed laudamus eos summis honoribus, quod pro veritate certarint, & fidei sinceritatem seruarint.*

XIII.

*Et quid multis? Ad Legem, grex Pontificie, & ad testimonium, nisi dixeris juxta verbum divinum μαχουσαυ illam & iso-  
pop, non erit tibi matutina lux.*

## CAPVT II.

## DE CANONE MISSÆ.

XIV.

*Effusis jam per cribrum quisquilijs Missarum in honorem Sanctorum & per torrentem emissis: consequens fuerit, ut cor animamque Sacrificij Missatici hoc est Canonem illius examinemus.*

XV.

*Gloriantur hic, raso de grege fratres, quod dictus Canon fundamenti loco scripturas agnoscat, autorem Christum habeat, Apostolorumque traditionibus gaudeat. Sed quo jure fratres? Si nec cutientem vestram faciem ad Legem & ad testimonium converteritis, nulla certe vel ratione vel specie effatum hoc vestrum ostendere nedum probare poteritis.*

XVI.

*Verba quidem institutionis Cœnae Dominicae sunt ipsius Servatoris nostri, ipsaque oratio Dominica in administratione Cœnae usitata, Apostolica, si Gregorio credimus, tradita est. Sed his exceptis, consarcinatus ille Canon, quantum quantum est, humanum inventum est, humana compositio est, cerebelli Romanorum Pontificum institutio est. Liquidò enim constat compositionem eius 500. annis & amplius post Christum nondum extitisse.*

XVII.

*Quod cum ita sit, quis adeò bardus est, qui non intelligat Canonis originem non ad Christum eiusque Apostolos transferendam esse. Cum enim Missa sine hoc Canone celebrari (ut papicola asserunt) nequeat, sequitur quoque ante annos à Christo 550. nullam omnino Missam in toto orbe Christiano celebratam fuisse.*

A 3

18. Ae



## XVIII.

Ac immeritò Bellarminus calamum aduersus Kemnitium *stringit lib. 2. de Missa c. 18, ubi virum top & x̄yiois mendacij arguere non erubescit, quod is scripserit; Romanam Ecclesiam cogere, ut omnes Canonem Missæ Romanæ tanquam necessarium omninò ad consecrandam eucharistiam seruent. Si enim non est necessarius, ut dicit Bellarminus, mentitur Lindanus & alij farinæ pontificia, qui eum prorsus necessariū faciunt; Si autem omninò necessarius est, ut volunt isti, mentitur os impudens Bellarmini, quod hoc negare audeat.*

## XIX.

*Genuinum Canonis istius autorem, Innocentius nunc Gelasium nunc Scholasticum quendam agnoscit: unde videre est, centonum instar à varijs & temporibus & auctoribus velut abortivum partum editum esse.*

## XX.

*Nec est quod veterum Liturgias ad stabiliendum ruinofum suum Canonem violenter rapiant isti, hoc enim salvè veterum consuetudine fieri non posse, probatur.*

## XXI.

*In veterum enim Liturgijs fiebant 1. ante Eucharistiam preces, quarum materia nihil aliud testib. Aug. & Chrysof. fuit, quàm laudes & gratiarum actiones, aut certè obsecrationes & petitiones fidelium. 2. In precibus illis offerebatur Deo votum nostrum quo nos volumus ( inquit Aug. ) in Christo esse mansuros utiq; in compage corporis Christi: multi enim unum corpus sumus. 1. Cor. 10. v. 17. 3. In precibus illis dabatur pax communicantibus, ut scilicet digni inveniantur, qui dignè fruantur Cœnâ Dominicâ. 4. Tandem communionem absoluta, tota actio gratiarum actione concludebatur. Quid verò hinc patrocinij ruinoso Canonis?*

## XXII.

*Præterea veteres non semper certam formam precum certis & conceptis verbis retinuerunt, sed pro libertate Christiana variè pro more cuiusvis Ecclesiæ usi sunt, modò analogà fidei. Papi-*  
cola



cole v. hodie vt sunt superstitiosi ita superstitiosè in omnibus Ecclesiis certam & prescriptam Canonis sui formam obseruari volunt, adeò vt sine illa consecrationem fieri posse negent.

XXIII.

Dolus etiam Pontificiorum hic relegendus est, in citatione Patrum. Non enim genuina sincera & certa sunt omnia, que titulo Patrum interdum circumferunt, quod ostendit fictitia quedam Missa quam Basilio & Chysost. adscribunt. Solent enim isti Sartores aula Romana, multa Patribus assuere, multa in ijs variare, multa transformare.

XXIV.

Summa: Pontificiorum de antiquitate & auctoribus Canonis ventosus prae textus, morbo, quem Logici consequentis appellant, laborat. Non enim sequitur: Veteribus singulares quadam fuere in Liturgijs preces: E. fuerunt forma Canonis Romanensium. Item, Quaedam verba Canonis apud veteres reperiuntur: E. totus Canon. Sic nec hoc. Pontificius Canon convenit in aliquibus particulis cum Canone Ambrosij vel Basilij E. totus pius & salutaris est. A particulari enim ad universale & à particulari ad totum non est Syllogizare.

XXV.

Tot deniq; errores Canon ille continet, quod ferè sententijs seu orationibus constat. Adeò enim veterum orationes depravarunt, vt sequestrata eorum consuetudine pia, omnia hodie ad histrionicum Missa suæ Sacrificium accommodent, quod cuiusvis non obscurum est videre, (cui modò mica adhuc pietatis & bonæ mentis superest) quid distent ara lupinis.

CAPVT III.

DE CEREMONIIS MISSÆ.

XXVI.

Irregularem Missa Pontificia Canonem excipiunt Ceremonia, que cum sint quadruplicis generis, opera precium est vt eas sub incudem vocemus.

27. Prime





## XXVII.

Prima itaq; classis continet à Deo mandatas, quales sunt substantialia Eucharistia. 2. Non quidem mandatas, pius tamen & ad iu iuoc, dictas, ut sunt hymni. 3. Superstitiosas & impias, ut est sacrificium Missaticum pro vivis & defunctis. 4. Adiephoras & indifferentes, ut vasa, vestitus &c.

## XXIIX.

Vbi iterum dolus Romanensium notandus venit, qui glaucoma imperitorum oculis obijcientes sine discrimine de Ceremonijs Missæ suæ loquuntur, non secus ac si quis ex una fidelia parietem tam ligneum quam lapideam dealbet.

## XXIX.

Deinde nugantur omnes ceremonias Missæ suæ esse traditionem Apostolicam, contra mentem Evangelistarum & Apostoli 1. Cor. II, qui longè aliter Cœnam describunt.

## XXX.

Injurijs sunt etiam in primitivam Ecclesiam, quæ in administratione Cœnæ Dominicæ ceremonias observavit tales quæ annunciationem mortis Christi collustrarent, quæ homines ad attentionem devotam excitarent, quæ deniq; libera essent observationis. Pontificij verò ineptiarum suarum & planè otiosarum ceremoniarum tenebris plusquam Cimmerijs hæcæ obscurarunt & obruerunt, adeo ut bellam hanc ceremoniarum suarum catevulam absoluta necessitatis faciant, eiq; peculiaris merita tribuant.

## CAPVT IV.

## DE MISSIS PRIVATIS.

## XXXI.

Ad Missas jam privatas progredimur, quæ potissima quæstura cauponatis & nundinatio sunt trivenesica illius meretricis Babylonica hoc est regni Pontificij.

## XXXII.

Vbi, si Pontificiam cohortem iterum ad Legem & ad testi-

100011110





monium vrserimus, pisce magis muta stabit. Nullus enim vel apex vel literula monstrari in sacris potest, qua privata ista historionica actio probari potest.

## XXXIII.

Stat igitur firmum fixum, Salvatorem nostrum Cœnam suam instituisse discipulis suis, non ut esset inane spectaculum, quod cum devotione solum adstantes & auscultantes adspiciant, sed ut manducent, bibant, idq; in sui commemorationem faciant, sic enim promissit impetrationem gratiæ Dei. Vnde mos missificantium in loco secreto Missas sine communicantibus celebrantiū, eo ipso quod Christo & Apostolo 1. Cor. 10. & 11. contradicit, ultrò & sua spontè corrui, atq; in fumos favillasq; resolvitur.

## XXXIV.

Repulsam in scripturis passi Pontificij, ad patrociniū primitivæ Ecclesiæ confugiunt. Sed loco patrociniū repudium accipiunt. Sic enim Chrysost. contra istos: Quod Dominicum est privatam fecerant, Cœna enim Domini debet esse communis &c; Idem Hom. 3. in 1. c. Ephes. Frustrà, inquit, habetur quotidiana oblatio, cum nemo sit, qui simul participet. Canon, inter eos qui Apostolici vocantur, decimus, ἀταξίας talem arguit, qui per actū Missæ non communicat. Regino, ridiculosum esse asserit, muribus aut parietibus insusurrare quæ ad populum pertinent.

## XXXV.

Ex quibus manifestum evadit, Missam Pontificiam privatam ex diametro pugnare, cum institutione Filij Dei; cum Apostolorum monumentis, traditionibus, exemplo Apostolicæ Ecclesiæ, testimonijs veteris Ecclesiæ, Canonibus Ecclesiasticis: adeò, ut vel ipsum etiam Trident. Conciliabulum haud invito fateri cogatur non esse consentaneū vel sacre scripturæ, vel antiquitati, quæ Sacerdos solus in Missa privatâ communicat: dum ita loquitur: Optaret Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes communicarent.

## XXXVI.

Hic Rhodus, rasi fratres, hic saltate: quòd si seriò hoc optaretis,

B

retis,



retis, tunc sanè hominibus opinionem falsam de virtute & efficacia spectaculi Missæ ex verbi divini fundamentis eximere, & sumq; Cæna & efficaciam solum ab institutione Christi pendere, hominesq; ad crebriorem usum sacra Cæna hortari deberetis.

## XXXVII.

Duo porrò nobis in hoc negotio tela obijciunt, quæ pro suâ privatâ Missa facere putant. Primum est: Tunc satisfit institutioni Christi quando accedit communicatio. Sed qui inter est Missa spectaculo, doctrinamq; de passione & resurrectione Christi meditatur fideq; apprehendit, spiritualiter communicat. Ergò tunc in privata Missa satisfit institutioni Christi.

## XXXVIII.

Respondeo: Committi in hoc argumento turpe ὀμωυπιὰς ὁ-  
φισμα in voc. communionis vel communicare. Non enim quævis communicatio ad salutarem Cæna usum requiritur, sed eadem, quam ipse Filius Dei instituit, præscripsit & mandavit, eadem enim satisfit institutioni. Hac autem non consistit in meditando (excipio tamen casum necessitatis, in quo valet illud Aug. Crede & manducasti.) vel spiritualiter manducando sed in edendo, bibendo, atq; sic in Sacramentali & spiritali communicatione simul. Minor etiam turpiter principium petit.

## XXXIX.

Alterum jaculum, quod minus quàm primum illud ferit, sic habet: Sacerdos est publicus Ecclesia minister, & liturgia publicum ministerium. Ergo sacerdos non pro se dunt. Sed pro omnibus fidelibus celebrat Cænam Domini. Respondemus: Laborat sophismate consequentis, non enim sequitur: Prædicatio Evangelij est publicum ministerium. Ergo minister prædicans illud solus in aliquo angulo audire & credere debet, cum justus sua fide vivat.

CAPVT



# CAPVT V. DE AQUA IN CALICE MISCENDA.

## XL.

Accessum jam facimus ad quintum caput, in quo disceptatur an aqua vino in calice miscenda sit. Affirmant Pontificij tribus ratiunculis. 1. Quia Christus sic consecravit. 2. Quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit. 3. Quia in Apoc. aqua populi dicuntur, per quas unio populi fidelis cum Christo representatur.

## LXI.

Vnde verò probant Christum sic consecrasse? 1. Ex mera conjectura. Nam quia in Syria generosissima vina habuerunt, inde credibile esse ajunt, Christum in hac sacra Cæna & in alijs vinum aqua miscuisse. Bella mehercle ratio? Ista enim consuetudo vini temperati in actione Cæna ibidem servata fuit, ne gentiles calumniandi occasionem haberent, quasi Christiani Cænam Dominicam celebrarint crapulae aut ebrietatis causa.

## XLII.

2. Ex traditione. Vnde verò quæso ista traditio? Virumne de Dominica auctoritate, an de Apostolorum mandatis descendens? Respondet dux ille & Corypheus Galeatus Bellarminus nomine exercitus sui Iehusitici, traditionem esse Dominicam & eorum qui ab Apostolis eorumq; discipulis hæc mysteria didicerint.

## XLIII.

Sed falsum hoc esse Durand. docet, qui hoc institutum ad Alexand. 1. Rom. Episcopum refert. Præterea D. & Thomas part. 3. quæst. 74. artic. 6. non pro traditione Dominica agnoscit, sed tamen dicit: Probabiliter creditur, quod Dominus instituerit hoc Sacramentum in vino aqua permixto secundum morem istius terræ &c.

## XLIV.

Romane vero Synagoga Patres legem inde extruxerunt. Sed quæro, ubi scriptum sit, quod ex Christi latere virumq; vinum scilicet & aqua profluxerit? De sanguine quidem & aqua legitur, de vino vero & aqua nihil.

B 2

Quia





## XLV.

Quia vero mixtio ista substantialia Cœna violat, fluxus ille ex sacro Christi latere mixtionem non probat. Rectius ergò S. Patres & inter hos Cyprian. sanguinem & aquam ex latere Christi profluentem ad gemina Sacramenta accommodant, in qua opinione nos etiam acquiescimus.

## XLVI.

Ultima ratio perinde, ut superiores dua, nihil probat. Ex allegorijs quippè dogmata constitui nequeunt. Bellarminus quidem dicit, adunationem Christi cum populo representari mixtione illa: Sed Canon ipsi mixtioni tribuit. Christus in usu Cœna sese applicat, & suis membris conjungit, verum non mixtione aquæ & vini, sed exhibitione corporis & sanguinis sui. Et si illa allegoria urgoatur, quia aquæ multa sunt populi multi, plus esset sumendum de calice quàm de vino. Vnum enim est caput membra verò multa & parùm aquæ, valdè parùm de populo adunaret Christo. Imò si allegorijs liberet ludere, mixtio aquæ cum vino de adulteratione Cœna Dominicæ exponi posset. Notum enim est quid Esa. intelligat, quum inquit: Vinum tuum mixtum est aqua.

## XLVII.

Porro Ecclesiæ nostræ negativam in presenti negotio firmissimè tenent. Christus enim geniminis duntaxat vitis, nullius autem aquæ mentionem facit, dum inquit: Non bibam amplius de germine vitis. Vbi significanter non vinum sed vitis fructum dixit, ne ullam hic comminisceremur mixturam: nam vinum aquâ mixtum non potest vitis fructus dici. Adde nullam circumstantiam institutionis speciem aliquam præbere, Christum in actione talem adhibuisse mixturam.

## CAPVT VI.

DE SACRIS LINGVA PERE-  
grina peragendis.

## XLVIII.

In hoc quoque negotio quid monstri Tridentini Misificatores alant, dispiciendum nobis est.

49. Aii



## XLIX.

Ait autem canon, sacra Eucharistia lingua peregrina submissa, voce peragenda esse. Quam opinionem vel eo potissimum nomine repudiamus, quia ipsi Christo, Apostolo Paulo & pia antiquitati e diametro repugnat.

## L.

Christo quidem; quia is ea lingua usus est in Cæne administratione quæ tunc popularis erat & ab omnibus intelligi potuit. Ideo enim Apostoli precioso linguarum dono ornati fuerunt, ut omnibus sub Cælo populis doctrinam Evangelij proponere, Sacramenta in propria cuiusque lingua administrare & ab omnibus intelligi possent.

## LI.

Apostolo verò Gentium Doctore, repugnat; quia is 1. Cor. e. 15. precipit, ut omnia fiant ad adificationem populi in Ecclesia ut nemo linguis loquatur peregrinis sine interprete: & addit, malle se quinque verba ex intelligentia loqui ut & alios instituat, quàm 10000. verborum incognita lingua, & totum illud caput in hoc argumento consumitur.

## LII.

Huic dogmati Paulino tota antiquitas magno consensu ad stipulata est, utens in sacris eâ lingua, quæ singulis in locis, si non popularis erat, tamen ab Ecclesia intelligebatur, qualis ratio fuit latina lingua in Affrica tempore Augustini. Et qui diversum tentabant serio reprehendebantur. Sic D. Ambrosius Latinos reprehendit, quod sono verborum oblectati, suo tempore Græcè soliti sunt cantare, cum quæ canerent, nec ipsi nec alij intelligerent.

## LIII.

Sed age, quæ antiquitas se Concilium Trid. implicat? Missa, inquit, debet servire populi eruditioni, & tamen celebranda est lingua peregrina: at quæso, quomodo quis docere & erudire quempiam potest nisi lingua sit nota?

## LIV.

Canon porrò huius capituli defendit (& quidem anathematis fulmine





fulmine defendit rem ineptiss. & vix aliqua refutatione dignam: nimirum Sacra Cœna verba submissa voce esse proferranda.

## LV.

Sed quo jure Papicole? Adeone stupidi estis, ut quæ scriptura dicat non intelligatis? Eone impietatis proveci, ut mentem Servatoris & D. Apostoli pervertere attentetis? Adeone in primitivam Ecclesiam injuriosi, ut piæ eius observationes & consuetudinem violetis?

## LVI.

Servator certè in administratione sacrosanctæ suæ Cœnæ mandavit sui posthac fieri commemorationem, nõ per silentiarium murmur, sed, ut D. Paul. explicat, per annunciationem. Neq; enim Christus ita instituit Sacramenta, ut actio quidem esset visibilis & publica; verbum vero quæ præcipua pars est Sacramenti, occultetur & silentio sepeliatur.

## LVII.

D. etiam Apostolus 1. Cor. 14. disertè distinguit inter hæc duo: in Ecclesia loqui de ijs quæ ad publicum ministerium spectant & privatim sibi ipsi loqui & Deo.

## LVIII.

Iugulemus porrò spiritum Tridentinam D. Patrum testimonijs, & 1. Bessarionis, qui inquit: Sacerdotem in Orientali Ecclesia altâ voce pronunciare verba illa: Hoc est corpus meum Hic est sanguis meus. Adstipulatur huic Dionys. Aug. & alij. Ut inter multos unum nominem, Basil. M. in hunc modum scribit: Illuscente jam die, πάντες κοινῆ ὡς ἐξ ἑνὸς σώματι & ἢ μιᾶς καρδίας τὸν τῆς ἐξομολόγησεως ψαλμὸν ἀναφέρουσι τῷ κυρίῳ, pariter omnes velut uno ore ac corde uno confessionis Psalmum Domino offerunt, ac suis quisq; verbis resipiscentiæ profitetur. Et de hoc de Grecis dunt. hominibus intelligi suspicetur, subjungit: τὰ ταῦτα τὰ ἔδη πάσαις ταῖς τῆς θεῆς ἐκκλησίαις σωφροῦν ἢ σύμφωνα εἶναι, hæc consuetudines omnibus Dei Ecclesijs conformes & consonas esse.



## LIX.

Imò vel ipsi Pontificij non inviti testantur usum murmuris istius solitarij non esse antiquum: Honorius enim & Biel scribunt, alià olim voce verba consecrationis pronunciarì consuevisse, sed postea imperatum fuisse, ut sub silentio (jubente sic miraculo quodam fictiio) dicerentur.

## LX.

Vnum adhuc nobis Iustiniani Imperatoris fauet palmarium quod forsitan Clericorum impofterum ora diducet, ut vocem e-  
te vent & verba institutionis clariùs pronunciant.

## XLI.

Illud autem in Novell. 123. cap. sic habet: Iubemus, inquit, ut omnes Episcopi pariter & Presbyteri in Ecclesia clara voce omnia pronuncient, quò populus audiat & respondeat Amen. Sed sapientis huius Imperatoris sapienti consilio & decreto cuculliger rasorum fratrum ordo, non contradicit tantum, sed etiam anathemate illud ipsum ferire non dubitat. Adeò scilicet compendiosa arte expedire isti didicerunt, ubi vident sibi sacra scriptura & antiquitatis sententiam obstare.

## LXII.

Nec est quod quis obijciat: in Liturgia, quæ Chrysof. titulum præfert, Sacerdotem  $\mu\upsilon\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ , hoc est secreto orare, mystica enim illa recitatio precum non est facta sub silentio, sed quia opponitur τῶ ἐκφῶνωϛ, significat, quod quedam preces non tam alta & sublata voce decantatæ fuerint. Alibi enim idem Chrysof. dicit, & preces & gratiarum actiones in celebratione Eucharistia populo cum Sacerdote communes fuisse.

## LXIII.

Et hæc quidem sunt, quæ de hisce sex capitibus  $\omega\varsigma \epsilon\pi \tau\acute{\upsilon}\pi\epsilon\acute{\alpha}$  proponere visum fuit. Cætera in autore nostro vel in ipso transcurso disputationis copiosius.

64. Quod





## LXIV.

*Quod superest, Deum sapientiss., Deum clementiss., qui lucem inhabitat inaccessam, summis gemitibus veneramur & obsecramus, nos ut in agnita semel Christi veritate conservet: adversam vero partem pro mirifica sua bonitate vel convertat, & ex tenebrosis errorum Labyrinthis ereptam, in aeternae lucis beatitudinem nobiscum transferat: vel, si convertenda non est, pro justissimo suo iudicio aeterno a viternorum suppliciorum anathemate vel tandem feriat. Cui aeterno Regi, immortalis, invisibili, soli sapienti Deo, honor sit & gratia, in sempiterna secula. Amen.*

F I N I S.





99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17











669.  
37



CHRISTO,  
CVND A  
MINIS CON-  
TINI REVEREN-  
TISS. VIRI DN.  
CHEMNITII.

TIO XV  
itum  
ntorum.

nda.  
grina peragendis.

RESIDIO  
GESNERI,  
CTORIS ET PROFES-  
Vitebergensi publici, ad  
anno 1603. in Templo Ar-  
tilandam proponit

IGMANVS Barttph.  
p. Scepusius.  
Meisnerianis Anno 1603.

